

fit Calor cœlestis in ambiente Aere diffusus, proxima verò Calor putrescentis Mixti v.g. Floris, Fructus, Folij, Ligni, &c. Materia disponitur, inquam, veteri Forma exclusa, nova inducitur, quæ ob raritatem mira quoque censeri potest; data ergo Cœli Clemētia odorabilitatis effectrice, & data materiâ bene disposita, quarè non dabitur, &c.

4. Prout putrescibilia varia sunt, & multiplicita, in quæ Calor non solum particularis mixti, sed universalis Cœlestis agunt, ita quoque varia, & diversa præcipue Insecta, modò nobiliora, modò ignobiliora producuntur, inter ignobiliora Xylophthorus numeraretur, proximè admodum haberi poterunt Canthrides jam notæ cunctis, in summis Fraxini ramis, inque Ficis, Pyris, Pinis, Populis, &c. originem ducentes, quas rosis, aliisque floribus pasci, ac delectari conspicimus; ita ut nobilissimum omnium Insectorum remaneat.

μῦα, sive Musca Muscodora considerandum, quod quidem à Fucorum, vespavum ignavarum, minimi scilicet aculei, natura non multum distans in multis quoque ijsdem conformabitur, quibus generatio ex putri peculiariter quodam modo ab aliis diverso poterit attribui; ita ut concludi possit hanc Odoratissimam Insectorum Speciem, solitariae naturæ, cum sylvestribus, odoratisque Pomis originalem aliquam conservare posse Analogiam; à quarum Arborum censu cum non veniat Sorbus excludenda Sorbis hæc Animalia problematicè erunt adjuncta; quæ quia rara miraculosa sunt in §. I. in Auth. de consil. coll. I. Sed pro coronide hic repetamus, quod præclarissimus Chimentellius de hac musca odoratissima metricè conclusit.

*Qua ventre artifice exhalantia dona reformat,  
Et nova de florum succis myrothecia condit.*

### Muscodora, scù Musca Moschata.

**Latibula quoq; profundiora, ubi ab Arboribus radices immittuntur  
- apud nos quærens, ibique vivens.**

*De Insectis, & minimis Animalibus supra 500. imagines evulgavit Thomas Moufetus Londinensis anno 1634. typis Thome Cotes, sed longè plura noster Aldrovandus cum suis Iconibus dedit in Volumine de Animalibus Insectis lib. vij. Verum nemo antehac magnitudinem eorum adaequatam est speculatus, ad quod Ingenua perspicaciora nostrorum temporum, in quibus Instrumenta optima non desunt, invitamus.*

### Apparens

### Magnitudo,



Pro tertio demum Problemate stabit hæc dubitativa Propositio, num scilicet Moralia Præcepta

Physicis, atque Botanicis misceri commodè possint materiebus; Cujus affirmatiyam non prius conclu-

slub